

Rome, (vers juin) 1600.

/ Illustrissime Domine. Etsi non memini, me personam Illustris-  
 simae Dominationis tuae aliquando vidisse, vidi tamen imaginem si-  
 millimam tibi in fratre tuo Domino meo Cardinali Radzivilio, cuius  
 memoria in benedictione sit. Humanitas vero et benevolentia erga me,  
 5 quam litterae Illustrissimae Dominationis tuae redolent, recrudescen-  
 re fecerunt vulnus, quod pene occalluerat, ex obitu Amplissimi Car-  
 dinalis susceptum. Ego enim ante annos circiter viginti quatuor ob-  
 servare et colere, dicam etiam amare atque diligere coepi Illustris-  
 simum illum Antistitem, a quo me sciebam vehementer amari, cum ille  
 10 me in Scholis quotidie disserentem audiret, sacrificanti pene sem-  
 per assisteret, frequenter me privatim inviseret, frequentius a me  
 ipse inviseretur. Accessit postmodum novum vinculum necessitudinis,  
 cum in Collegium Ordinis amplissimi, in quo ille eminebat, ego quoque  
 sim cooptatus. Sed cum sperarem, nos iam coniunctis animis et studi-  
 15 is maiori ope catholicae Ecclesiae profuturos, repente ille in ipso  
 aetatis flore subtractus est. Ego vero tanto Collega et Domino des-  
 titutus, ex meo dolore coniicio quam moleste tibi fratris amantissi-  
 mi et Cardinalis optimi interitus inopinatus acciderit. Sed quia  
 christiani sumus, et a divina providentia regi omnia scimus, cum San-  
 20 cto Iob dicere debemus, Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domi-  
no placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Quod quidem  
 quia te, pro tua prudentia atque animi magnitudine, iam fecisse non  
 dubito, ideo non diutius Illustrissimam Dominationem tuam his meis  
 litteris morabor. Precabor assidue Deum pro incolumitate tua et pro  
 25 sempiterna requie fratris; et si quid aliud sit, in quo mea opera  
 uti volueris, paratum semper ac promptum invenies. Romae 1600.

Fuligatti, Epist. familiares, VII.